



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna V. Lacrimæ Christi pro nostris peccatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

Et quia tu scis, qualia & quanta sint desideria mea, fac meum secundum magnam misericordiam tuam: quia ego non possum plus facere, quam ut ostendam meas miseras involutas ardentissimis suspiriis ad te, Deus meus, spes mea, remedium meum, in quo confido, quem adoro, laudo, ac desidero amare toto corde.

VII. O Mater & Virgo sanctissima, succurre huic misero exuli: adjuva, ut confringatur duritia cordis istius, contradictiones hujus miserabilis corporis, ut semper sim subjectus in omnibus rebus divino huic Domino. Non sim expers fructus ærumnarum ejus, & extra ejus gratiam. Adjuva me, ut possim ei satisfacere, & me vincere, atque ita ipsi servire, & ipsum amare. O Angeli, & vos purissimæ animæ hujus supernæ Curia, amate & glorificare hunc Dominum laudibus infinitis, pro gratiis in me collatis. Estote mei advocati & intercessores, ut me pondus hujus carnis non opprimat: sed impetrate mihi spiritum, qui teneat eam semper subjectam Spiritui Domini, afflictam & vexatam, donec merear gaudere in vestro beato consortio, relaxatione & quiete æterna.

ÆRVMNA V.

Lacrimæ Christi pro nostris peccatis.

I.

Lacrima vox, quam Christus natus emisit è sacratissimo ore suo, ploratus fuit instar aliorum infantum, quibus similem se fecit in omnibus. Nec est res exigua admirationis, videre Filium Dei vivi abscondere suam æternam Sapientiam, ac vivere sine loquela, & in silentio usque ad tempus, quo loquuntur alii infantes, cum ploratu, in fasciis, inter brachia; tractari ut alios infantes, non minore debilitate naturali: & sicut hæc omnia proveniebant ab ejus amore, non ab infirmitate, ita magnam iis portam aperuit considerandi, qui diligunt ipsum, ut eum tractent, & inflammentur his mirabilibus æterni sui consilii. Magnum ad hoc motivum præbent lacrimæ, quibuscum ingressus est mundum, & quamvis in his fuerit similis aliorum infantum, causa tamen lacrimandi fuit ei longè dissimilis. David de illo præ-

F 2.

dixit.

Christo ex-
pressi lac-
rimas.

Hebr. 5. 7

tandò ul-
ciores,

Pf. 6. 7.

dixit, quòd eum zelus honoris ac domùs DEI semper interiùs ita depasceret, ut omnia totius mundi peccata in se expianda susci- peret. Primo ergo ingressu in mundum, talem habuit sensum pec- catorum admissorum in DEUM, quæ æterna sapientia sua ipsi repræ- sentabat, ut statim cœperit flere, ac totam vitam suam expendere in lacrimis, quibus etiam est immortalus. Et earum quidem Apostolus ait, apud Patrem æternum tantum fuisse pondus, cùm per eas de- precaretur pro peccatoribus, ut exauditus sit pro sua reverentia, & remedium exoravit pro nostris peccatis. Majorem vitæ suæ partem Christus consumpsit in oratione ad Patrem; & quia tota sua Hu- manitas occupata erat in promerenda venia peccatorum nostro- rum, anima sua sanctissima cum omnibus viribus suis semper eleva- ta, ac defixa manebat in DEUM, quem clarè intuebatur; corpus au- tem continuò proliebatur lacrimis, laboribus, ac sensu doloréque peccatorum commissorum & committendorum.

II. Nec paræ fuerint hæ lacrimæ, quando Christus ita semper fuit liberalis atque profusus, ut, cùm quondam sanguine sudaret, sudor ille in terram decurreret. Ita scilicet existimandum est etiam lacrimis immaduisse terram, ubi orabat: quemadmodum & in Psalmo dicit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, & lacrimis meis stratum meum rigabo.* Fuitque illi balneum lacrimarum tantisper pro recreatione, donec perfunderetur sanguinis sui ba- ptismo, ad quem magna cum anxietate anhelabat. Neque tamen sine magna molestia, sensu ac dolore fundebat has lacrimas. Quia molestia tantò est major, quantò interior & acutior est sen- sus illius: ac propterea dolores externi cum internis animi com- parari non possunt. Et quia sensus malorum in animo par est co- gnitioni eorum, Christus autem solus perfectè cognoscebat, quan- ta, & quàm gravia sint mala, quæ deplorabat; ideo etiam tanto sensu eorum percellabatur, quantum merentur. Ac propterea Psalmus cum sensum nulli rei potiùs comparare potuit, nisi qua comederet, ac perpetuò roderet viscera Domini.

III. Quando Sancti volunt exprimere fœditatem peccati, dicunt esse talem, ut qui videret eam clarè, moreretur præ timore. Estque hæc ipsa veritas, quam in aliquibus servis DEI monstravit experien-

experientia: nam sua Divina Majestas non dedit eis claram cognitionem suorum delictorum, antequam seipsum eis ita communicasset, ut eorum anima vires haberet ad illam sufferendam: quin etiam tunc eam sic dabat, ut duraret brevi tempore, ad eos plene purgandos. Nam in quibusdam apparuit, quod, si diutius durasset id lumen, & clara cognitio sceditatis peccati, horrorque illius, non potuissent sufferre illius formidinem, quin deficerent. Quare Deus occurrit subito, radium illum tegendo, & novam spem affundendo de sua Bonitate: qua spe denuo fortius eos astrinxit, ad sibi serviendum, seque amandum; & sic eos totaliter sibi univit. Quibus autem videtur hæc esse nimia exaggeratio, oculos conjiciant in Filium DEI, verum cognitorem malorum nostrorum, qui non magnum putabat, quod pro ipsis est passus, posteaquam intellexit non minore pretio pro eis satisfieri posse, quam suo sanguine, & meritis infinitis. Et sic etiam representatio sceditatis peccati fuit una ex causis, quæ in sudorem sanguineum, & lethalem agoniam cum conjecerunt in horto.

IV. Cum ergo Christus Dominus noster totius mundi peccata suscepisset in se expianda, ac perfectissime novisset pondus & gravitatem singulorum; quo sensu, qua affectione, quo dolore animi, quanta amaritudine illa defleverit? neque hunc sensum ei leniebat, quod mala essent aliorum: quia ejus amor non potuit esse propriarius, sed ita res nostras agebat, ut suas; & malis nostris afficiebatur, ut propriis: atque hoc tantò magis, quod non tantùm doleret de malis, quæ afferebant peccata, sed multò magis de injuria, quam inferebant Majestati Divinæ; qua de causa nunquam cessabat à lacrimis. Hinc intelligitur, quod licet infantes alii multas causas habeant plorandi, quando nascuntur, ut, quod nascantur in peccato filii iræ, & intrent in exilium incipiendo vitam plenam ærumnis, miseriis & peccatis, procul à cælo, cum periculo id amittendi, & cum omnibus aliis malis vitæ, quæ finiuntur alio omnium gravissimo, quod est mors, absque certitudine vitæ æternæ: nihilominus, quia nascuntur sine usurationis, etiam sensum malorum illorum non habent, & sola natura facit officium satis conveniens tam miserabili conditioni; id quod saltem postea,

& maximè in fine vitæ agnoscunt, quàm justas habuerint causas plorandi. Sed Filius DEI, sapientia æterna, qui tantum formâ & mole externa erat infans, ingressus est mundum lacrimans ut filius Adæ & ut sapientia DEI, optimè cognoscendo & sentiendo mala, propter quæ lacrimabatur. Nam perspicuè videbat tyrannidem *cum omni ex his oriunda miseria.* carnis & mundi, effrenes impetus malarum cupiditatum, oblivionem cælestium rerum, aversionem à spiritualibus, cognitiones alienas longèque diversas à DEO, multitudinem malarum cogitationum, verborum & operum omnium, eorum, qui jam tum nati, quique nascituri erant adhuc. Videbat his malis remedium non suppetere nisi in sua misericordia, & quanta sibi incumberet propterea obligatio & onus satisfaciendi pro omnibus; & super hæc omnia, pro quàm multis esset laboraturus incassum: quantam præterea ignorantiam inveniret in mundo; & quidquid nec lingua potest exprimi, neque calamo. Hæc omnia talem sensum efficiebant in sua Majestate, ut ejus oculi emitterent fontes lacrimarum salientium usque in cælum, & mitigantium iram DEI, justissimè contra nos motam. Atque ut Christus non sentiebat minus peccata cujusque privatim, quàm totius mundi communiter, ita quisque lacrimas ejus debet reputare pro suis, agnoscendo se causam earum, fructumque ex eis capiendo, ut juvet Christum in conferendo beneficio tam necessario sibi misero peccatori.

Ezech. 43.

V. Vidit Ezechiel Propheta in templo, sibi monstrato per revelationem, ex parte ejus dextera prodire aquam vivam ejus virtutis, ut sanaret omnes illuc ingredientes. Per latus dexterum S. Scriptura sæpe intelligit virtutem DEI, & abundantiam bonorum omnium, quæ plenissimè inveniebantur in vivo templo DEI, Christo Domino nostro; quia in ejus Corpore, quod ipse templum vocavit, vivebat tota Divinitas; & ex eo, cum natus esset, prodiit hoc flumen aquæ vivæ, quasi alter Jordanis, ex duobus fontibus oculorum, quo potest quilibet sanare suas infirmitates. Hic etiam apparet, quomodo beati sint, qui lugent, posteaquam habent lacrimas Christi pro sua consolatione. Hic cernitur, quomodo Christus faciat officium veri Patris, dum in se suscepit debita filiorum, & solus plangit pro ipsis, mittendo Angelos, ut annuncient pacem,

*Christus
plorat pro
nobis.*

pacem, & promulgent gaudium mundo, posteaquam habet praesentem sponsum, & consolatorem, cujus praesentia faciet omnes lacrimas aliorum cessare. Parentes laborant, sudant & negotiantur pro suis liberis, dum ipsi sine cura ludunt in plateis. Ita vult Christus Dominus ac verus Pater noster omnes laetos esse, dum plorat sua Majestas, & facit officium Salvatoris.

VI. Sublimis & excellens est veritas, quam tradit Scriptura, *Eccl. 7. 3.* cum dicit: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii*: non tantum, quia finis gaudiorum mundi est mors ac tristitia; sed etiam, quia ex majore parte, ubi magna sunt gaudia in terra, ibi magna quoque est oblivio caeli & animae; per quam eodem demerentia veniunt homines, ut non sint minus turpia & erubescenda, propter quae plorant, quam ea, quibus laetantur. *Beati, qui plorant.* Aestimant res terrenas, prosperitatem vitae, abominandas voluptates carnis, de quibus ait Scriptura: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* *Ib. 21 v. 13* Ubi videbunt se fuisse deceptos, semperque plorabunt, *Lacrima mundana* nemine succurrente. Flent, cum vident sibi deesse media perditionis, nec possunt satisfacere suis desideriis, constituti in mediis adversitatibus, quae sunt securior via ad salutem, quasque ipsi averfantur tantopere. Mala verò animae, offensas & peccata in DEUM, jacturam vitae aeternae, & periculum, in quo degunt aeternae damnationis, non deplorant. Nihil horum videtur in stabulo & Praesepio, in hac domo luctus, ubi Christus plorat: sunt ibi festa Angelica, deliciae spirituales, gratiae caelestes, societas justorum, Virginis, Josephi, Pastorum. Desentur ibi peccata, spernuntur voluptates vitae, promeretur caelum, invenitur consolatio ab his, qui illuc ingrediuntur; illuc melius est ire, quam in domum convivii.

VII. Lacrimae plerumque sunt signa, vel effectus tristitiae, quia funduntur, vel pro defectu alicujus boni, vel pro fine tristitiae, cum advenit bonum. Eandem proprietatem retinent lacrimae Domini: licet enim non potuerit sentire defectum vel accessionem ullius proprii boni; nostra tamen mala sentit, ac defectus bonorum, quae amisimus, ac reditum eorundem in seipso, qui thesaurus est verus nostrorum bonorum, Omnium lacrimarum Christus est socius; tristitiae, per sensum, qui est in ejus corde paterno: laetitiae, per

*Quid maxime
timendum.*

per amorem, qui erga nos flagrat in sua Majestate. Quæ verò nascuntur è bonis desideriis, Christum gerunt in ulnis. Quilibet ergo diligenter consideret, quid placeat ei, quidve displiceat, ut videat, an partem habeat in lacrimis Domini, plenis amore ac pietate. Quod enim Christianus possit ac debeat maxime timere, est facilitas & incuria, quâ sinunt homines affici se rebus indignis amore animæ, tantum propter Deum, & æterna bona creatæ. Inde fit, ut ordinariè vivant securi in suis peccatis, & negligentes purgandi suam conscientiam, quasi nihil haberent lacrimis dignum, aut nulla mors foret, ratioque Deo reddenda: credantque tunc se felicem egisse diem, quando perfecerint desideria sua terrena. At verò, si bene perpendant suos affectus, quibus circumferri se sinunt; ac tempus, quod impendunt mundo, & voluptatibus corporis, vanitati & oblectationi rerum, quibus anima perditur: invenient magnam causam cogitandi, ne fortè Christum in vanum pro ipsis effuderit lacrimas; & quòd ipsimet olim in vanum sint ploraturi, quando lacrimæ suæ in æternum nihil proderunt amplius.

VIII. O quanto melius agit servus DEI, qui ignotus mundo, reputatur indignus falsis ejus deliciis, dum associat se lacrimis Christi, gaudet spiritualibus fructibus, quos illæ producunt, quosque nobis merentur in æternitate metendos! quanto felicior est is, qui sua peccata agnoscens, jungitur sensui Christi, lacrimas fundentis pro illis, & veniam dantis per ipsas! quanto sapientior est, quicumque se recolligens rationem vitæ suæ exigit à seipso, & emendat errores, agendo curam animæ suæ, & capiendo fructum suæ collectionis; ut Deo totum se dedat, & vicissim recipiatur ab eo, suo quisque modo, in familiarem ac dulcem communicationem amoris: quæ digni non sunt, qui diligunt res mundi, quàmque illi soli noverunt, qui sciunt amorosè flere cum JESU, ut suavissimam ab ejus misericordia consolationem accipiant.

E X E R C I T I U M

Circa lacrimas Christi.

I.

O Mi bone JESU! amor animæ meæ, quales sunt hæ lacrimæ, quas effundis in primo aditu mundi! O summa consolatio, & hilaritas

*Christus
inter alio-
rum gaudia
solus plorat.*

& hilaritas omnium mœrentium, cur totus diffuis in lacrimas ipso die, quo ingrederis terram pauperum peccatorum, & venis, ut afferas eis solatium? Angeli canunt jucundos hymnos, & gaudium annunciant Pastoribus, quòd tu sis natus; & jubent homines lætari, quòd sit eis natus Salvator, qui es tu, unicum bonum meum; & tu solus, bone JESU, inter hæc festa cæli ac terræ fundis lacrimas? Benedictus es tu, Domine mi, qui venis ad eòd plenus desiderii nos salvandi & redimendi à nostris peccatis, ut neque per unam horam velis intermittere officium Redemptoris; & quod nondum agis patièdo & morièdo, facis ea deplorando tanquam propria. Non vis, ô sincere amice animæ meæ, omittere, quin aperias in omni re viam ad nostra remedia. Et quia scis multos fore, qui lacrimis spiritualiter lavent tibi pedes, ex dolore de suis peccatis, ut fecit Magdalena; vis tu esse primus, qui lacrimis perfundas pectus tui Patris, idèmq; nobis emollias, & sanctifices lacrimas nostras, ut mereantur admitti, & consequi veniam: & propterea sub ingressum mundi incipis Patri æterno satisfacere per lacrimas, quod es postea factururus per sanguinem.

II. O Amor animæ meæ, quid tibi dabo pro tanto ac tali amore, quem erga me geris? Tu, mi bone JESU, non es, ut alii infantes, quamvis eis te similem exhibeas, & primam vocem similem omnibus emittas plorans. Sed illi, cum habeant causam plorandi, exilium, quod inchoant; peccatum, quod afferunt; pericula & arumnas, quibus obijciuntur; miseras corporis, & animæ, quas patiuntur statim ab initio, tamen eas non intelligunt, naturâ faciente, quod ipsi deberent, si nôssent: sed tu, Divine & æterne Domine, meum summum bonum, & lux animæ meæ, bene intelligis, quod facis; & non fies, propter quæ deberent alii parvuli; sed æternâ tuâ sapientiâ vides peccata hominum, injurias tui Patris æterni, interitum animarum, quæ sunt in mundo, quem ingrederis; miseras & necessitates internas & incognitas hominibus; errores, in quibus versamur cæci; delectationes, quas capimus in peccatis, propter quæ damnamur; oblivionem tuæ legis, & æternorum bonorum; odium cælestium, amorem terrenorum, qui regnat in mundo; deceptionem, in qua contenti degunt alienati ac separati

*Causa lacrimarum
Christi.*

G

à te;

à te; dominium peccati ac diaboli in animas; periculum damnationis æternæ, in quo mundus degit sine cura; iram tui Patris æterni justissimam contra homines; & quàm sit impossibile humana infirmitati, mederi tantis malis sine te, & sine amore, quem venis monstrare in terra.

*Lacrima
Christi sunt
nobis causa
lacrime.*

III. Et propterea, ô vita animæ meæ, cum te vides venisse in mundum tam perditum, vis ut gaudeat cælum, quia brevi replendum hominibus; vis ut gaudeant homines, quia jam habent unicum, summum ac verum remedium: sinuntque te solum facere tuum officium, ut inter hæc gaudia fundas lacrimas, oriundas ex inflammato amore, qui flagrat in tuo pectore, & offeras illas tuo Patri æterno cum intimo sensu malorum nostrorum, ac desiderio illa curandi. Ideo voluisti, ut ex oculis tuis, ceu fontibus emanarent aquæ vivæ de misericordie hoc pectore, quæ sanent omnia vulnera nostra, & bullientibus lacrimis consumant ac dissolvant glaciem amoris terreni, qui nos interimit: ô Thesauri divinorum bonorum, deriva in me quoque has aquas, ut saner ab eis. Adoro te, Amor Divine, adoro te Pietas immensa, adoro te Misericordia infinita, adoro te Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, quòd tam sollicitus sis de meo remedio, tamque festinus ad vulnera mea sananda. Bene Isaias Propheta prædatorem festinum te vocat, quia prius, quàm veniat tempus, quò decrevisti loqui, ut alii parvuli, prædaris his lacrimis bona cælestia, miserationes Dei, gratias spirituales pro peccatoribus, ac superas eos cumulas bonis. O unice Salvator & Medice malorum meorum! ô felicissime sponse hujus animæ! ô amantissime Pater hujus miseri peccatoris! quàm verè dixisti, non posse filios Sponsi flere, dum est Sponsus cum eis: quia flent eo absente, quòd careant ejus felici præsentia: dum enim adest Sponsus ac Pater, curam suscipit levandi necessitates eorum, & solatur eos suâ præsentia, & filii tantum ludo vacant, contenti curâ sui Patris de se. Sic tu, mi bone Jesu, vis, ut in tuo ingressu in mundum nos omnes læti simus; curam nosti tibi relinquentes; ac tu interim solus cum lacrimis procuras remedia dilectis filiis tuis, impetrando eis vera bona, queis carent. Benedictus & laudatus sit hic paternus ac divinus amor, quem geris, ô J E S U.

IV.

IV. Sed longè plus tibi debeo, Deus animæ meæ, quia vitam tuam non solum ordiris, sed totam traducis in lacrimis, in sola demum Cruce finiendis. Transigebas in oratione dies & noctes, lavando sacratissimam faciem, & pectus tuum, imò lacrimis ipsam adeò terram rigando: sentiebas mala mea quasi tua propria, & promerebaris mihi multa bona, quasi in tuum commodum. Quòd si totà vitâ tuâ nihil aliud habuisses molestiæ, satis fuissent hæ lacrimæ, quibus deflesti mala à te non commissa; & suspiria, quibus continuò procurabas nobis remedia, tibi minimè necessaria. O infinite Fons misericordiæ! O infinite Ignis amoris æterni! quomodo non hîc abeo totus in lacrimas, & in desideria concipiendi flammam tuæ amoris, tibi que serviendi, cum intimo odio malorum meorum? quomodo, mi dulcissime Jesu, non te adjuvo in hoc exercitio, quò tam immensa bona mihi procuras? O arden- tes & suavissimæ lacrimæ, emollite cor meum in hac hora, ac totâ vitâ meâ, ut juvem vos in diluendis malis meis, ac totus amore vestro accendar. Si tu Sapientia æterna, in me non vidisti aliud, quàm necessitatem totâ vitâ plorandi, ut mihi afferres remedium; quanta est mea cæcitas, quâ sine sensu & agnitione meæ miseriæ, fector voluptates in hac vita? illumina, Divina Lux, tenebras meas, ut me videam, agnoscam & horream. Separa cor meum à lethifero amore terræ, quæ à te me separat: tolle gustum rerum, quæ me fecerunt adeò miserabilem, ut me ipsum non agnoscam, ac te compulerunt totâ vitâ flere pro me.

V. O pietas infinita, tam longanîmîs in me supportando, tam dives in me sublevando, quid me fieret, si non habuisses mecum compassionem in summis miseriis, & mea mala non respexisses cum misericordia? Quare, Deus meus, consideratâ bene vitâ meâ, tantam habeo causam timendi, ac plorandi propter ea, quæ hæcenus deflevi, quantum propter ea, pro quibus non flevi. Quando nam, Deus meus, tantum sensi jacturam tui, quantum sensi quamlibet rei, aut voluptatis terrenæ? Fleo pro amisso patre, fratre, cognato, amico, qui me à meis malis liberare non potest, & quem necessariò tandem, seriùs aut citiùs, oportuit perdere: Te verò, & æterna tua bona, meis peccatis amitto quotidie, ac prome-

reor excludi à cælesti societate, ad quam sum conditus; & hęc neque deploro, nec sentio. Doleo, si mihi molesti sint homines, si non faciant, quod me puto mereri: qualibet res contraria meo gustui & voluntati, me turbat intus ac foris. Magni duco, & graviter sentio quamlibet jacturam honoris & existimationis apud homines: affligor, si quid jure, vel injuriã malè dicatur de me: non fero, si alter pluris æstimetur, quàm ego: consumo vitam, ac tempus tero in recreando & fovendo capitali hoc inimico meo, qui causa mihi est omnis mali, corpus dico grave, corruptibile ac mortale: contristor, si quid mihi desit, quo illi possim blandiri: pro illo, & pro appetitibus meis somno & quiete me privo; & quod pejus est, magnam partem vitæ, ad promerenda bona æterna mihi à te, bone Jesu, concessã, consumpsi in cogitationibus, desideriis & operibus, quibus illa amitto: ac sum ita miser, ut ferre non possim, si tollantur mihi occasiones te, & me perdendi, ò unicum bonum animæ meæ! Et sic fleo pro occasionibus meæ damnationis, & somnum perdo pro illis, ac si vera bona fuissent. Video me sine virtutibus, sine victoria tentationum, imò victum ab illis, tepidum, sine fervore, debilem ad bonum, animosum ad malum, sine luce interna, sine igne tui amoris, sine ullo desiderio vivo & efficaci tibi satisfaciendi, sine cura tibi serviendi, sine amore ac desiderio patiendi pro te, sine pace in terra, sine ulla re, ex qua cogitare possim me habere aliquid boni, quod meum sit. Quid dico, DEUS meus? video me longè sejunctum à suavibus tuis amplexibus; video me in regione umbræ mortis sine te, vera vita animæ meæ; & tamen non plango, non affluo lacrimis coram te. Nõnne tu, bone JESU, es verus Pater, amicus, frater, sodalis, honor, thesaurus, consolatio & felicitas hujus animæ, præ omni alia re, quæ unquam inveniatur in mundo? quomodo ergo non pudet me dolere pro rebus temporalibus; quòd autem sine te sim, non sentire? O lacrimæ infiniti meriti, juvate me, & impetrate mihi bona, quæ promeremini. Date mihi æstimare, quod æstimandum est & aspernari, quod aspernandum. Cesset tandem miseria mea, Domine, nec permaneam ultrà in hac deceptione. Compatere, Domine, vitæ meæ tam brevi ad promerendum cælum, ac tam malè consumptæ in rebus terrenis: saltem ab hac hora

hora in posterum ; virtute lacrimarum tuarum tam ardentium, totus ad tuam voluntatem immuter. Pœnitent me, Domine, præteritorum, desidero te juvare in deflendis meis malis. Vestrum, ô lacrimæ, quæ cælum aperitis, est hoc facere, ut oculi animæ hujus cæcæ pandantur. O lacrimæ plenæ dulcedine amoris ac pietatis, emundate penitens hanc animam, inflammantes mutate illam in ignem amoris Divini, & odium amoris profani. O lacrimæ, quæ penetratis pectus Patris æterni, penetrare intima hujus cordis. O lacrimæ, quæ de cælo derivatis omnia bona in terram, levate cor meum terrenum ad cælestia. O quando veniet hæc hora benedicta, quâ videam in hac terrena & miserabili anima effectus lacrimarum istarum ! Bone JESU, quod ego non scio petere, hoc petant hæc lacrimæ tuæ : audi saltem illas, quando quidem ego non mereor audiri, & da mihi hoc, propter quod effunduntur.

VI. Mi dulcissime JESU, verum est, lacrimas esse aut finem, aut effectum tristitiæ : quia tristitia est sensus amissæ rei charæ, & sic facit plorare pro eo, quod amat, ac desiderat ; & quando id venit, finitur tristitia lacrimis propter bonum præsens, quo carebat. Ideo sancti & servi tui, qui te quærunt cum desiderio, deplorant mala, per quæ te amittunt, & flent, quando te ipsis communicas, & manifestas in eorum cordibus, propter gustum tanti boni, quo prius carebant, quodque jam habent. Sed tu, bone JESU, quid habes, cur plores, aut quid boni potest advenire tibi de novo, ut fleas ex ejus præsentia ? Tu es ipsum Bonum æternum, tecum habes omnes tuas divitias ; & sicut eis nihil potest deesse, ita nihil etiam potest accedere : quidnam ergo boni, ô vita animæ meæ, tibi deest, ob cujus absentiam fleas ? O infinite Amor non jam particularis, sed communis, opulentissime in propriis bonis, egentissime in alienis. O charitas Divina tam cupida boni aliorum, *Amor Dei* quàm dives proprii, ô ignis famelice, qui nunquam satiaris, nisi *insatiabilis* omnia convertas in te. Bene apparet, Amor animæ meæ, quod nunquam sis contentus, donec igne tuo mutes in te omnes animas, quas ut creâsti propter te, ita multum doles earum perditione, tanquam rei tuæ, pro cujus recuperatione fundis lacrimas. Ignis videtur lætari, quando emicat in vivam flammam ; tristari

autem, cum fatiscit in cinerem. Sic tu plangis, pastor Divine, cum, intras in hanc vallem lacrimarum, quæsiturus ovem amissam; gloriaturus cum repertam summis laboribus, reportabis eam ad pascua cælestia. O ignis infinite, si non habes, quod inflammes, quove te dilates, & ideo ploras; Ecce, vita cordis mei, dulcissime JESU, ecce me, perditam ovem, pro qua ploras. Noli plorare pro me, sed potius incende me totum, ut lætari possis, & mihi des flere.

VII. Quin si adeo vorax es, Amor Divine, ut, cum sis bonum infinitum, quæras me nihilominus, & fleas pro me, quid obstat, quo minus in me te faties? nonne tu es ignis, non es tu Divinus, non es omnipotens, non es infinitus? quis ergo te impedit, ne in me constimas, quidquid non placet, mutando me & transformando totum in te, ut placeam tibi, tuque me læteris? Ah mi Deus, ah bonitas infinita! Sint mihi lacrimæ panis die ac nocte donec te sentiam in anima mea. Da mihi flere, quia posteaquam te reperi, iterum perdidisti; flere etiam, ne te amplius perdam. Recrea me præsentia tua, & à facie tua dissipentur inimici tui. Ah Domine, desidero satis petere, satis amare, satis abstergere tuas lacrimas: sed nescio quid me retineat. Tu Domine, qui vides & nôsti me, dum fles pro malis meis, medere: & quia fles præ desiderio boni mei, da mihi, quod deest mihi, mi amor, mi bone JESU, mi Pater, mi sponse, & meum unicum bonum. O quam verè melius est ire ad domum luctus, quàm convivii: quia tu, qui nasceris & moreris lacrimans, in cælo absterges omnem lacrimam ab oculis justorum, dum, qui in bonis ducunt dies suos, in puncto ad inferna descendunt. Quantò melius est, ô vita animæ meæ, ire ad præsepium inundans lacrimis tuis, quàm ad palatia Regum personantia tibiis? nulla est in hac vita delectatio, quæ non sit mœrore circumdata: nulla verò est è lacrimis tuis, non plena bonis & gaudiis. Justi, qui vitam transigunt in lacrimis, ac semper te videre desiderant, pleni sunt solatio. Fac, me, bone Jesu, unum ex illis. O suavis hora, quâ lacrimis proluitur corpus, anima verò intimis te stringit amplexibus! O Divine Puer, complectere me, ut simul fleamus, tu pro me, ego pro te. Tu me

me vinctes, ego te possidebo. Tu mecum te consolaberis, & ego me tecum. O quæ delicia? ô quos thesauros das tecum plorantibus? O verè beati, qui lugent. Facebant à me, bone Jesu, terrena solatia; lugeam, fleam in hac vita, ut me confoles tuo complexu in altera.

ÆRVMNA VI.
Asperitas Cæli.

I.



CHRISTUS Dominus noster bellum contra peccata suscepit, non tantum ut ab iis nos liberaret, sed etiam ut relinqueret nobis viva exempla virtutis: unde perspicue cerneremus, & mala, quæ ex illis proveniunt, & modum, quo illa vitemus. Ideo se quoque armavit in vitia, quæ regnant in mundo, & in potiores usitatiorésque occasiones eorum, dando plura & majora exempla contrariarum virtutum, ut sunt humilitas, patientia, fuga voluptatum & eorum, quæ pluris æstimat mundus. Et quoniam amor corporis, & cura id bene habendi est una ex rebus, quæ plurimum occupant homines, ac præbent occasionem multis gravissimis peccatis; ideò Filius Dei in ipsa statim nativitate, ac tota deinceps vita sua sic tractavit suum sacratissimum Corpus, ut quisquis acriter se ipsum castigandi ac macerandi spiritum & robur habet, inveniatur in hoc Domino exempla copiosissima: qui verò tantum animi non habet, saltem in eo deprehendat, quantum timendus & cavendus sit crudelis hic hostis domesticus, ne propter illum bona æterna amittat. Una commoditatum corporis, cui multi majorem vitæ partem impediunt, est apparatus vestium & variarum inventionum ad propulsandas injurias, mutationes & asperitates cæli ac temporis, ut quod profus evitare non possunt, levius sentiant. Huc spectat curiosa inventio ædium, palatiorum, cellarum, aularum, hortorum, nemorum, fontium, piscinarum, vestimentorum, lectorum, conviviorum, musicorum, & plurima alia genera oblectamentorum, ad calorem, refrigerium, & diversionem sensuum ab eo, quod pati non possunt. Et ut ab heste benignè habito, aliud quam dolus incum, cui subjectum esse oportuit, exspectari non potest; ita tyrannus

*Christus ab
artu suo*

*Durus erga
sanctissi-
mum Cor-
pus.*